



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Contractus in specie secundum rubricarum ordinem
exponens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. II. De Venditore, & Emptore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63816)

ad ipsam rem venditam, & pretium constitutum, incidenter verò, & majoris explicationis gratia etiam *quantitatis* fit mentio, ut, si dicam: *vendo tibi agrum meum Tusculanum, in quo sunt 10. jugera, pro centum florenis*, quo casu sive major, sive minor quantitas reperitur, pretium propterea nec augetur, nec minuitur, sed id, quod plus, aut minus est, lucro, vel damno emptoris cedit. *arg. l. 40. §. 2. ff. b. t. l. 13. §. 14. l. 42. ff. de act. empt.* in dubio tamen non præsumitur nuda *demonstrationis* gratiâ quantitas fuisse adjecta, sed allegans id probare debet, quod tamen ei haud difficile erit, si venditio per *aversionem* facta est. *Wann ein Sach nicht mit Zahl, Pfund, Ellen, oder Morgen ist verkaufft worden. Aut, si quantitas incerta adjecta est, obhengebr bey zehen Morgen Gelds.*

II. Potest adjici quantitas *taxativè*, eo effectu, ut, si major aut minor quantitas, quàm expressa fuit, postea reperitur, pretium augeri, aut minui debeat. *l. 13. §. 14. ff. de act. empt. l. 2. prine. l. 4. §. 1. ff. de peric. & commod. rei vend.* *Molin. tract. 2. disp. 367. n. 9.* in dubio semper *taxationis* gratiâ quantitas fieri mentionem præsumitur. *Brunnem. ad l. ult. ff. de peric. & commod. n. 35.*

III. Adjici potest venditioni *quantitas restrictivè*, quod tum fieri censetur, si in singulas quantitatis partes singula pretia constituuntur, v.g. si dicam: *Vendo tibi omnia mea vina, singula dolia pro 20. florenis.* His *pranotatis*

Dico, in dubio tunc censeri rem ad **7** corpus esse venditam, quando primum corporis, constituto insuper unico pretio, facta est mentio, licet postea *quantitas*, aut *mensura* addita fuerit; econtrà si primum *quantitatis* facta est mentio, & insuper in singulas partes individuale pretium est constitutum, venditio ad *quantitatem* facta esse intelligitur. Rationem hujus diversitatis reddit D. D. Fleck in *Biblioth. jur. lib. 3. tit. 26. n. 48.* quòd, ubi duo conjuncta sunt in dispositione, illud magis in mente contrahentium consideratum fuisse præsumitur, quod primum in elocutione venit, per *l. 34. ff. de usur. & arg. l. 24. §. 17. ff. de fideicommiss. libert.* hæc tamen præsumptio *juris*, & *de jure* non est, & ideo, si ex circumstantiis appareat de contraria mente contrahentium, eidem standum erit: non enim ordo loquendi, aut scribendi voluntatem contrahentium immutare potest. *l. 77. §. 12. ff. de Legat. 2.*

§. II.

De Venditore, & Emptore.

SUMMARI A.

8. *Enumerantur, qui emere vendere simpliciter, vel secundam quid prohibentur.* 9. *In vitus regulariter ad vendendum nemo cogi potest, quæ regula suas tamen patitur exceptiones, quarum quatuor recensentur.* 10. *De jure Stapule, & Emporii etiam hic mentio ingeritur.* 11. *Persona & communitates Ecclesiasticæ à Magistratu Civili (nisi inevitabilis urgeat necessitas & periculum sit in mora) ad venden-*

endum compelli non possunt. 12. Alienis nummis rem emens, non acquirit dominium illi, cujus nummis res emptæ est, sed sibi. 13. Id quod fallit in milite, pupillo, Minorene, Ecclesia, dote.

EMere vendere possunt omnes illi, qui libere contrahere, & contrahendo se obligare possunt, nec speciali jure ab hoc contractu excluduntur. Inter exclusos numerantur I. Clerici, & Religiosi, non quidem absolute, simpliciter, sed sub certo respectu, in quantum nempe ipsis interdicitur negotiatio quæstiosa, solius lucri gratiâ instituta, ad instar mercatorum, qui rem emptam, & in se nihil immutatam, rursus vendunt, sed pretio cariori. Textus sunt in *cap. 9. Et passim dist. 88. cap. penult. Et ult. de vita, Et honest. Cleric. cap. 1. Et 6. Ne Clerici vel Monachi res tamen sibi necessarias, aut utiles emere non vetantur; sicut nec res superfluas distrahere. Casus plures, in quibus negotiatio aliàs Clericis vetita, permittitur, enumerat P. Wadingus de *contract. Disput. 7. dub. 13. num. 4.* ubi simul *num. 6.* recenset, quæ in specie *Clericis Soc. Jesu* negotiatio ex decreto Congregationis II. & VII. generalis interdicta sit. Ejus quoque mentionem facit Haunold. *Tract. 10. cap. 1. n. 284.* II. Prohibentur emere vendere *Nobiles*, & *Natalium* luce conspicui per *l. 3. C. de Comerc. Et mercat.* quod tamen duntaxat ad negotiationes, & mercimonia privata restringendū est, qualia plebejos magis, quàm nobiles exercere decet. Mercimonia majora, quæ amplos sumptus exposcunt, Regibus, & Principibus exercere probrosum non est, uti patet in Regibus Lusitaniæ, qui mercaturam amplissimam & quæstuosissimam, instituta naviga-*

tionem in Indiam, cum magno Reipublicæ emolumento jam à ducentis annis, & ultra exercent, quod ipsum ab *Hispanis, Anglis, Batavis, Belgis, Venetis* &c. praticari scimus. III. Interdicitur emptio venditio *Præsidibus, & Magistratibus* in illa Provincia, quam administrant. *l. 62. princ. ff. h. t.* & hoc ob metum concussionis, quia timendum foret, nè subditi metu concussi, res, quas aliàs nolent, vendere, aut certè pretio multò viliori dare deberent. Quam prohibitionem non afficere hodiernos Magistratus cum aliis judicat Clarissimus P. Böckhn ad *h. t. num. 9.* quia hodie Magistratus sunt *perpetui*, qui olim erant temporarii, unde nimis dura redderetur eorum conditio, si nihil emere, aut vendere possent, subditis tamen satis est cautum, quod difficilis ipsis ad Principem recursus non sit, si Magistratus sua potestate abutantur. An, & quomodo Medicus ab ægroto, Advocatus à Cliente quidquam emere possit, dilucidè exponit prælaudatus Clariss. P. Böckhn ad *h. t. n. 12.*

Quæres I. An, quis invitus ad emendum vendendum cogi possit? Respondeo in regula negative, textus in *l. 11. 13. Et seq. C. de contrah. empt. l. 2. C. ut nemini liceat in empt. specier.* Ratio est, quod iste contractus mutuo, & libero partium consensu inœatur, & quilibet rerum suarum moderator sit, & arbiter. *l. 21. C. mand.* sunt tamen casus quidam excepti, ubi quis ob justam causam, & utilitatem publicam res suas vendere, aut alienas emere compelli potest.

teff. Sic I. dum metuitur, ne caritas annonæ provinciam flagellet, possunt subditi, à magistratu cogi ad victualia, quæ ipsis superfluum, vendenda, tametsi alias venalia non habeant, id quod maximè locum invenit in *Dardanariis*, vulgò *Rornæ Juden*, & qui habent granaria copioso frumento instructa. l. 2. C. ut nemi. liceat in empt. Specier. l. 1. §. 11. ff. de Offic. Præf. Urb. l. 1. C. de Episc. aud. ex quo ultimo textu patet, quod ad vitandam annonæ caritatem Magistratus cavere possit, ne quis ultra propriam indigentiam plus annonæ coëmât, & eam dein quæstus, & lucri causa carius vendat. *Bocerus Class. 2. D. 3. sb. 32.* Ex eadem causa sub poena publicationis bonorum, & exilii prohibita sunt *monopolia* per l. un. C. de Monopol. quod etiam per varios Recessus Imperii confirmatum est, uti patet ex R. I. de Anno 1512. Titulo von den *GÖrtz lästereyn.* §. 15. & Anno 1524. §. 28. item de Anno 1548. Tit. die *Monopolia.* V. *Menoch. de arbit. Jud. Quæst. Cas. 569. per tot.* Ad hanc quoque exceptionem pertinet, quod Magistratus propter publicam utilitatem in frumento, vino, carne, & cæteris victualibus certum & justum pretium constituere possint, & debeant, uti probant textus suprâ allegati, & testantur *Schneidew. ad §. fin. J. b. t. num. 8.* *Harppecht ad §. 11. J. de Publ. jud. num. 22. & seq.* II. Ex causa utilitatis publicæ possunt privati compelli ad vendenda prædia sua. Ut, si domus annonaria in usum civitatis extruenda, aut fortalitium erigendum, aut mœnia urbis amplius proferenda sint. arg. l. 15. §. 2. ff. de R. V. l. 11. princ. ff. de Evict. hoc quippe jure adversus seiplos utuntur etiam ipsi Principes,

quod communiter omnibus prodest (ait Justinianus in l. un. §. 14. C. de caduc. toll.) hoc privata nostre utilitati præferendum esse censemus. Ex qua causa nunquam etiam quis adigi potest, ut pro ædificanda Ecclesia, Monasterio, aut alio loco pio fundum, aut prædium suum distrahat. arg. l. 12. princ. §. l. 43. in fin. ff. de Relig. & sumpt. fun. Gail. lib. 2. observ. 56. *Mynsinger lib. 5. observ. 27.* *Molina tract. 10. disput. 341. num. 2.* III. Ad evitandam *communio-nem*, quæ discordias non rarò parere solet, si quis partem suam fundi communis vendidit, isque ante traditionem communi dividendo judicium accipere coactus fuit, in quo ipsi totus fundus adjudicatus est, cogi ab emptore potest, ut totum fundum sibi vendat; & econtrà venditor vicissim emptorem adigere potest, ut totum fundum accipiat, & solvat id, in quod ob eam rem alteri condemnatus est. l. 13. §. 17. ff. de act. empt. l. 7. §. fin. ff. commun. divid. IV. Potest etiam alicui venditio pœnæ nomine injungi; sic si olim dominus in servum plus æquo sæviebat, jubebatur eundem æquis conditionibus vendere. §. 2. J. de his, qui sui, vel alien. l. 2. ff. eod. Unde *Mynsingerus lib. 5. observ. 8.* & *Gail. lib. 1. observ. 17. num. 2.* inferunt, quod hæc constitutio hodiedum obtineat, ut, si dominus in subditos suos nimium sæviet, à superiore cogi possit, ut jurisdictionem suam vendat, ac consequenter subditos suos à sua jurisdictione eximat.

His exceptionibus etiam accense-¹⁰ tur *jus stapule*, die *Stapel*, oder *Staffel-Recht*, *freye Widerlag*. vi cujus merces in illum locum, qui hoc jure gaudet, delatæ, in commodum in-

incolarum ad tempus vānum exponi debent: item *jus Emporii*, quod in eo consistit, ut extranei merces suas in illum locum, cui *jus emporii* competit, transferre quidem possint, nulli tamen alteri, quā mercatoribus, aut civibus ibidem existentibus vendere teneantur. Stryck. in *U. M. ad Tit. de contrab. empt.* §. 5. Plures alios casus exceptos enumerant Mantica de *Tacit. & ambig. convent. lib. 3. tit. 4.* & Socinus *regul. 530.* circa quos omnes hoc notandum est, quod non aliter invitus vendere teneatur, quam ea lege, ut justum eidem pretium solvatur. *l. 12. ff. de Relig. & sumpt. Gail. lib. 2. observ. 56.*

11 Quid verò de personis, aut communitatibus Ecclesiasticis dicendum, an etiam illæ ex recensitis causis ad vendendum emendum compelli possint? & à quo superiore? Resp. cum personæ Ecclesiasticæ sint membra Reipublicæ, ac ejusdem legibus vi *directiva indirectè* teneantur, inde est, quod pro casu necessitatis, aut exigente utilitate publica ad vendendum cogi possint, non tamen à Magistratu politico, cujus jurisdictioni non subsunt, sed ab Ecclesiastico. Quodsi tamen periculum in mora foret, nec superior Ecclesiasticus commode adiri posset, eo casu Magistratus

epikia uti, & servata discretionis lege, Personas Ecclesiasticas ad vendendum, vel emendum compellere posset; id enim tum necessitas boni publici, tum præsumpta S. Pontificis voluntas efflagitare videtur. Et ita docent ex nostris Salisburgenfibus Magn. P. Schmier *lib. 3. tract. 3. cap. 2. n. 36.* Clariss. PP. Benedictus Pettschacher de *contract. in particul. quest. 4. num. 705.* Ranbeck in *panopli. immunit. Eccles. disput. 2. cap. 7. num. 5.* Placidus Böckhn in *Comment. hic num. 16.*

Illud non extra rhombum hic quaeritur, an, qui aliena pecunia rent emit, ejus subsecuta traditione, dominium sibi acquirat, num illi, cujus pecunia comparata fuit? Resp. regulariter acquiri ementi per *l. 6. C. de R. V. l. 9. C. de donat. inter vir. l. 4. C. commun. utri. jud. l. 21. C. de probat.* Hæc regula patitur exceptionem in *milite*, cujus nummis si res quæpiam ematur, poterit ab eodem utili rei vindicatione vindicari. *l. 8. C. de R. V.* II. in re pecunia *dotali*, aut *pupillorum*, *Minorum* empta. per *l. 54. ff. de Jur. dot. l. 2. C. quando ex facto tutor. l. 52. V. planè ff. de pecul.* Idem obtinere in Ecclesia, si ejus nummis quidquam comparatum est, in *Dissert. præambul. §. 1. num. 8.* ostendimus.

§. III.

Qualiter merx constituat objectum Emptionis Venditionis?

S U M M A R I A.

14. Res omnes, quæ sunt in commercio humano, vendi possunt. 15. Prohibetur tamen homo liber, exceptis duobus casibus, qui specificè exponuntur. 16. Pater in gravi necessitate liberos non tantum recens natos, sed adultos quoque vendere potest. 17. Solvitur objectio. 18. Aliæ res vendi prohibite enumerantur. 19. Quomodo res aliena vendi possit, ostenditur. 20. Et quid, si emptor sciens rem alie-